

rannide obfuscarì potest. Prædixit enim Salvator Ecclesiæ suæ  
pressuram sub finem mundi, & tam atrocem afflictionem, qualis  
à primordio mundi non fuit, ita ut Filius hominis vix repertu-  
rus sit fidem in terra, *Matth. 24. 21. Luc. 18, 8.* Similes prædictiones  
extant *2. Thess. 2. 3. 1. Tim. 4. 1. Apoc. 12. 6. 13. 3. 7, 8. 12. 15. 16. & 6*

XXXIII.

Neq; verò ignoti sunt omni modo, qui latent: novit enim  
Dominus qui sunt sui, *2. Tim. 2, 19.* & dum ad tempus in silentio &  
spe fortes sunt, tandem nimium pressi, clamoribus & ejulatibus  
de corrupto Ecclesiæ statu, precibus etiam & suspiriis ad Deum  
prodeunt, & sic temporis progressu ex latentibus viris Christia-  
nis aperti Confessores martyresque fiunt, parati interim ad red-  
dendam rationem spei, quæ in ipsis est, omni tempore, cuilibet  
petenti.

XXXIV.

Hujusmodi latens Ecclesia erat tempore Eliæ, qui putabat,  
se in abominatione Baalítica relictum solum, sed reservavit sibi  
Dominus septem millia eorum, qui genua corâ Baal nō flexerūt,  
qui quidem Prophetæ erant ignoti, Deus autem illos noverat,  
*1. Reg. 19. 14. 18.* Non erat ibi ministerium publicum, nec publica  
confessio, nec tamen vera deerat Ecclesia, quæ latuit, nube perse-  
cutionum in extremas angustias redacta.

XXXV.

Quod exemplum adeò illustre est, ut Pontificii aliud nihil  
excipere possint, quàm quòd in regno Samariæ quidem latuerint  
aliquot pij, in altero tamen regno Hierosolymitano eodem tem-  
pore veram fuisse & conspicuam Ecclesiam, sub regibus Assa at-  
que Josaphat. Sed quò minus hæc exceptio locum habere pos-  
sit, tria obstant: 1. Quòd Elias, cum Jezabel ei mortem minare-  
tur, fugit, non in Judæam, sed ultra, in desertum, *1. Reg. 19. 4.* haud-  
dubiè mansurus in Judæa, si Ecclesiam ibi reperisset. 2. Elias,  
cùm peccata populi recenset, meminit inter alia, quòd altaria  
evertissent, *v. 10.* certè non Jeroboami in Samaria, quia nulla ido-  
latrica altaria eversa queritur: sed altare Domini, quod erat  
Hierosolymis in Judæa. 3. D. Paulus *Rom. 11. 3,* hoc exemplum  
Eliæ citat, quòd sicut tempore Eliæ nulla videbatur inter Ju-  
daeos